

Sed Respond. hoc quidem in se verum esse, attamen in hac Sanctione expressè exceptionem istam in casu proposito fundari. Et quidem ob hanc rationem, quod antea accusator certiora indicia fortean habere non potuerit, postmodum vero ea perscrutetur & talia indaget, quibus ipse crimen reo objectum, non attenta ejus negatione, probare queat. Aliud tamen est, si accusator potuisset ante torturam delictum probare, probationem vero saltem distulerit, ut interea reus cruciatu corporis vexaretur, tum sane Prudentum consilio hoc negotium est committendum.

## ARTIC. CLXXXVII.

*Ut idem rei defensiones adnotet.*

**Dafz der Gerichtschreiber des Angeklagten Entschuldigung verzeichnen sol.**

**M**o aber der Beklagte die That bekennet / und doch solche Ursachen/ die ihn von der That entschuldigen möchten/ anzeigen/ das selbig/ auch alle Urkund/Kundschafft/ Weisung/Erfahrung/ und Erfindung derhalb/ soll auch/ so viel sich in demselbigen peinlichen Gericht zu handeln gebühret / und sonst alles / wie obstehet / beschrieben werden.

AD ARTIC. CLXXXVII.

## ARGUMENTUM.

*Si reus quidem delictum fatetur , verum ejusmodi subinde excusationes adducit, quibus à reatu eximi possit, tum illud itsdem diligenter protocollo inserendum est.*

## EXEGESIS.

**H**ic articulus, qui magnam habet affinitatem cum Artic. 74. & 151. nullam fere habet difficultatem. Quandoquidem hic aliud nihil continetur, quam quodnam sit officium Actuarii in protocollando, cum reus quidem fatetur delictum, sed tales adducit excusationes, quae si probari possint, eum à reatu & poena liberare queant.

Tum